

De  
**dispositione orationum Ciceronis.**

**I. Proemia orationum usque ad consulares.**

Quinque cum sint quasi membra eloquentiae, invenire quid dicas, inventa disponere, deinde ornare verbis, post memoriae mandare, tum ad extremum agere ac pronuntiare (de or. II. 19, 79, inventio, dispositio, elocutio, memoria, pronuntiatio), ea quae secundo loco ponitur, dispositio, a Cicerone, ut ab aliis artis dicendi scriptoribus, minus accurate et copiose est tractata, quam reliquae partes. (R. Volkmann: die Rhetorik, §. 38.) Tamen quantum C. etiam huic parti tribuerit vel ex iis apparet quae de Q. Hortensio memoriae prodidit. Hunc enim attulisse scribit minime vulgare genus dicendi, duas quidem res, quas neminem alium: partitiones quibus de rebus dicturus esset et collectiones eorum quae essent dicta contra quaeque ipse dixisset. (Brut. 89, 302). Eandemque ei laudem tribuit multis annis ante jam in oratione pro Quinctio 10, 35: „Faciám, inquit, quod te saepe animadverti facere, Hortensi; totam causae meae dictionem certas in partes dividam. Tu id semper facis, quia semper potes; ego in hac causa faciam propterea, quod in hac videor posse facere. Quod tibi natura dat, ut semper possis, id mihi causa dat, ut hodie possim.“ Atque „ejus divisionem in digitos diductam leviter eludit“ (Quintil. IV. 5, 24), cum in divinatione in Q. Caecilium 14, 45, huic minatur: „Quid? cum Hortensius accusationis tuae membra dividere coeperit et in digitis suis singulas partes causae statuere? quid cum unumquidque transigere, expedire, absolvere?“ Videmus igitur Ciceronem hanc artem disponendi neque in alio contempsisse et ipsum jam ad primam quae exstat orationem adhibuisse. Itaque a scholastica Ciceronis et librorum rhetoricorum et orationum lectione mihi non alienum visum est, et quae ille de dispositione praeceperit et quemadmodum sua ipse praecepta secutus sit, quaerere atque exponere.

Ac quoniam C. quae adolescentulo sibi ex commentariolis suis inchoata ac rudia excidissent (i. e. libros de inventione) vix adulta aetate et eo usu quem ex causis, quas dixerat, tot tantisque consecutus erat, satis digna esse judicavit, incipiamus ab iis, quae in libris de oratore politiora ac perfectiora protulit. In his igitur libris dispositionis (quam C. ordinem et dispositionem argumentorum, ordinem argumentorum et collocationem, ordinem et dispositionem argumentorum, rationem ordinis et disponendarum rerum, ordinem collocationemque rerum ac locorum appellat) vim L. Licinius Crassus eam esse vult, ut inventa non solum ordine, sed etiam momento quodam atque iudicio dispenset atque componat, et M. Antonius, quem Catulus in hoc genere sibi semper deum videri solere dicit, ejus rationem esse dupli-

cem dicit, alteram, quam afferat natura causarum, alteram quae oratorum iudicio et prudentia comparetur. Videtur igitur C. duo dispositionis genera distinguere: alterum, quo inventa „ordine“ sive „natura causarum“ i. e. secundum praescriptam arte partitionem, alterum, quo „momento quodam atque iudicio“ sive „propria oratoris prudentia“ i. e. prout in dicendo profutura sunt collocantur, ut haec ratio ad argumentorum maxime collocationem pertinere videatur.<sup>1)</sup> Nam Antonius partes orationis, de quibus paulo post dicam, dicendi natura ipsa praescribi censet; ut vero statuamus ea quae probandi et docendi causa dicenda sunt, quemadmodum componamus, id esse vel maxime proprium oratoris prudentiae. Quocum consentit quod etiam Cornificius III. 9, 16 dispositionum duo genera habet, unum ab institutione artis profectum, alterum ad casum temporis accommodatum, et quod Sulpitius Victor, Fortunatianus, Martianus Capella (Halm, 320, 120, 472) naturalem et artificiosum ordinem distinguunt.<sup>2)</sup> Sed missa ad tempus altera illa ratione, quam in oratoris prudentia positam Antonius dicit, videamus, quid prior illa ratio, in causarum natura posita, quam posteriores rhetores ordinis naturalis nomine significant, praecipiat: in qua quaestione hoc tenendum est: omnia quae traduntur praecepta pertinere ad causas quae sint a communi quaestione sejunctae i. e. ad causas finitas, et maxime quidem ad genus iudiciale, neque vero prorsus aliena esse a suasionibus atque a laudationibus (genere deliberativo et demonstrativo). de or. II, 81, 333.

Atque hac quidem ratione constituitur primum quot sint causarum sive orationis partes et quid singulae sequantur. Numerat igitur C. de inv. I. 14, 19, quocum consentit Cornificius I. 3, 4, sex partes: quae sunt exordium, narratio, partitio, confirmatio, reprehensio, conclusio; atque Antonius si dicendi natura ipsa praescribi dicit, ut aliquid ante rem dicamus, deinde ut rem exponamus, post ut eam probemus nostris praesidiis confirmandis, contrariis refutandis, deinde ut concludamus atque ita peroremus, tantum quinque partes, omissa partitione sive, ut Cornificius appellat, divisione numerat, tamen paulo post, cum singulae quemadmodum tractentur accuratius describit, etiam tertiam hanc partem addit, cum dicit: Sequitur ut causa ponatur, in quo videndum est, quid in controversiam veniat. Idem Antonius (II. 19, 79) ante oculos positae esse dicit has partes, in quas omnis sit oratio distributa: „Jubent enim exordiri —; deinde rem narrare —; post autem dividere causam ac proponere, nostra confirmare argumentis ac rationibus; deinde contraria refutare; tum autem conclusionem orationis et quasi perorationem collocant.“ Similiter etiam Crassus censet, antequam de re dicamus, initio conciliandos eorum esse animos qui audiant, deinde rem demonstrandam, postea controversiam constituendam, tum id quod nos intendamus confirmandum, post quae contra dicantur refellenda, extrema autem oratione ea quae pro nobis sint amplificanda et augenda quaeque sint pro adversariis infirmanda atque frangenda. Quodsi C. in Partt. Orat. 1, 4 et 8, 27 quatuor tantum numerat partes, quarum duae valeant ad rem docendam, oratio et confirmatio, ad pellendos animos duae, principium et peroratio, confirmationis nomine etiam confutatio comprehenditur, ut hoc vocabulum hic idem significet, quod „argumentatio“. Pariter in Oratoris loco 35, 122, omittitur partitio, ubi C. artis esse dicit

<sup>1)</sup> Hanc Crassi distinctionem repeti videmus a C. Julio Victore et ab Albino. (Halm, p. 434, 544).

<sup>2)</sup> Plura vide ap. Volkmann, p. 313 sqq. qui tamen quod a Cicerone dispositionem uno loco (or. 15, 30) atque breviter et summatim attingi putat, eandem differentiam his (de or.) locis significari non animadvertit.

ordiri orationem — rem exponere — sua confirmare, adversaria evertere, post omnia perorationem concludere: neque ejusdem partis mentionem facit in praeceptis quae paulo post 36, 124, sequuntur et quae extant in Top. 26, 97, „ubi principium, narratio, fides, peroratio numeratur. Jam vero 15, 50, tantum de exordio et refutatione pauca praecipuntur, sed haec magis spectant ad alteram rationem dispositionis, collocationem argumentorum; nam summus orator „de firmissimis alia prima ponet, alia postrema; inculcabitque leviora.“

Haec si comparamus inter se, partitionem, quae tertia pars orationis esse debet, modo, quasi non in partibus numeretur, neglegi, modo variis nominibus appellari invenimus [dividere causam et proponere II. 19, 80; controversiam constituere I. 31, 143; causam proponere II. 81, 331, proponere quid afferas et quare ita sit ostendere II. 41, 177]. Solet enim haec pars in orationibus ipsis breviter tractari, ad rationem rhetoricam autem non levis est momenti; cur autem varia sint nomina infra quaeremus.

Adjicitur autem iis quas adhuc commemoravimus quinque sexve partibus etiam digressio, quam Antonius, quoniam aliter ab aliis partes digerantur, septimam numerari commemorat. „Alii, inquit, jubent, antequam peroretur, ornandi aut augendi causa digredi“, quod permovendorum animorum causa saepe utile esse idem (II. 77, 311) censet: sed jam de inv. I. 51, 97. Ciceroni non placuit hanc partem quam Hermagoras invenit, Ser. Galba princeps ex Latinis tractavit (Brut. 21, 82) in partium numeri reponi; atque in ceteris libris tantum abest, ut digressioni certum in oratione locum attribuat, ut digrediendi locum saepe dari dicat, re narrata et exposita, vel argumentis nostris confirmatis vel contrariis refutatis vel utroque loco vel omnibus, si habeat eam causa dignitatem atque copiam. Quin etiam firmamenta digressionibus obrui atque in cursu ipso orationis declinationes ad amplificandum fieri possunt (part. or. 5, 15; 15, 52; 36, 128; cf. or. 36, 127). Itaque digressio nec necessaria pars est orationis, nec certum in ea habet locum, sed numeranda est in iis rebus, quae oratorum judicio comparantur et quae quemadmodum componantur statuere Antonius proprium oratoris prudentiae judicat.

Videamus nunc quid singulae orationis partes sequantur et quid de iis C. praecipiat. Haec in libro I. de inventionem tam copiose exposuit, ut singula, praesertim cum magis expriorum rhetorum ingeniis libaverit, quam ex suo usu et exercitatione dicendi sumpserit, huc transferre supersedeamus, ac praecipue ea commemoremus, quae C. in posterioribus libris, cum ipse jam aliquamdiu artem dicendi exereisset, conscripsit.

Exordii C. de inv. I. 15, 20, duo genera distinguit, principium, quod perspicue et protinus conficit auditorem benevolum aut docilem aut attentum, et insinuationem, quae dissimulatione quadam et circuitione obscure subit auditoris animum; quae genera quomodo quinque causarum generibus (ea sunt honestum, admirabile, humile, anceps, obscurum) accommodantur, accuratius exponit.

De his omnibus rebus posteriores libri nihil habent, immo C. principium et exordium promiscue usurpat. Quae in his libris de exordio tradit, haec fere sunt:

Principia verecunda, non elatis incensa verbis, sed acuta et instructa sententiis, tum vero causarum propria esse debent. Omne autem principium aut totius rei, quae agetur, significationem habere debet, aut aditum ad causam et communionem aut quoddam ornamentum et dignitatem. Itaque ut aedibus ac templis vestibula honesta et aditus illustres, sic causis principia pro portione rerum praeponantur. (cf. or. 15, 50.) Itaque in parvis et fre-

quentibus, i. e. quales quotidie agi solent, causis, nullo omnino opus est exordio, sed ab ipsa re exordiri est saepe commodius. Exordia secundum Graecorum praecepta trium rerum gratia sumuntur, ut amice, ut intellegenter, ut attente orator audiatur (part. or. 8, 28; ut auditor aut concilietur aut erigatur aut pareat se ad discendum.<sup>3)</sup> or. 35, 122, cf. de inv. I. 15, 20). Primum igitur est, ut orator eos apud quos agitur benevolos beneque existimantes efficiat; idque vel praecipue elaborandum, quoniam ex eo multa principia ducuntur, Antonius censet. Nam quod Graeci moneant, ut eos attentos et dociles faciamus, id utile quidem esse, sed non principii magis proprium, quam reliquarum partium, praesertim cum in initiis ii qui audiunt jam sua sponte sint attenti atque dociles. Atque ut impellantur aut ad benevolentiam aut ad iram, principia duci possunt ex quatuor locis: ex reo<sup>3)</sup>, ex adversario, ex re, ex iis apud quos agitur (ex disceptatoribus). Atque ex reo quidem ducuntur eae sententiae quae significant virum bonum, quae liberalem, quae calamitosum, quae misericordia dignum, quae valent contra falsam criminationem (initia benevolentiae conciliandae comparantur aut meritis nostris aut dignitate aut aliquo genere virtutis et maxime liberalitatis, officii, justitiae, fidei; ex adversario cum contrariae res ex iisdem locis in eum conferuntur; ex re, si crudelis, si nefanda, si praeter opinionem, si immerito, si misera, si ingrata, si indigna, si nova, si quae restitui sanarique non possit; ex eis autem apud quos agitur, aliqua conjunctionis aut causa aut spe significanda, et si in nos aliquod odium offensiove collata sit, tollenda ea minuendave aut diluendo aut extenuando aut compensando aut deprecando. Maxima igitur copia principiorum ad iudicem aut adliciendum aut incitandum ex eis locis trahitur, qui ad motus animorum conficiendos insunt in ipsa causa, quibus in principio iudicem tantum impelli Antonius vult, ut jam inclinato reliqua incumbat oratio. Quo fit ut orator iis ipsis sententiis quibus in consequenti oratione est pugnaturus in exordio quasi proludat. — Haec de animis iudicum conciliandis. Quemadmodum autem orator consequatur, ut intellegenter et attente audiatur, quum de ea re Antonius (de or.) nihil praecipiat, omnia praecepta ex partt. or. sumam, quo in libro C. cum omnes locos ad benevolentiam conciliandam ex personis, nullum ex re petiverit, docet, ut intellegenter orator audiatur et attente, ab ipsis rebus ordiendum esse. „Sed facillime, inquit, discit auditor et quid agatur intellegit, si complectare a principio genus naturamque causae, si definias, si divides, si neque prudentiam ejus impediatis confusione partium nec memoriam multitudine.“ Ut attente autem audiamur, trium rerum aliqua consequemur; nam aut magna quaedam proponemus aut necessaria aut conjuncta cum ipsis apud quos res agetur.“ Horum praeceptorum prius mihi magis aptum esse videtur ad partitionem, orationis tertiam partem, quam C. in partt. or. omnino non explicavit; alterum vero contineri iis quae ad motus animorum conficiendos in principiis dici posse demonstravimus.

Omnino autem principia causae quae agitur propria esse debent, non extrinsecus aliunde quaerenda, sed ex ipsis visceribus causae depromenda sunt. Nam exordium ut sit connexum, non tanquam citharoedi prooemium aliquod affictum consequenti orationi, ut co-

<sup>3)</sup> C. si aliis locis dicit: ex personis nostris, ab nostra persona, quoniam >reos appellat quorum res est. idem mihi significare videtur, sicut saepissime in orationibus se et reum uno pronomine primae personae complectitur; Quintil. quidem IV 1, 6, exordium duci nonnunquam etiam ab actore causae dicit, non modo a litigatore, quasi eorum diversa sit ratio.

haerens cum omni corpore membrum esse videatur, vehementer cavet. Idcirco etiam exordium non ut in habenda oratione, sic etiam in meditando et commentando est tempore primum, sed causa pertemptata demum atque perspecta, locis omnibus inventis atque instructis considerandum est, quo principio sit utendum, ut id penitus ex ea causa quae agitur effluxisse videatur.<sup>4)</sup>

Haec igitur pauca sunt quae C. de prooemio praecipit, multo plura et uberiora habet Quintiliani doctrina praecepta eaque Ciceronis ipsius exemplis demonstrata. Nostrum autem nunc est videre num C. suam ipse rationem et doctrinam orationibus et usu comprobaverit: in qua tamen quaestione ea quae Quintilianus affert non plane neglegenda videntur.

In prima quae extat oratione pro P. Quinctio C. principium ducit ex re: nam conqueritur, reo gratiam adversarii, sibi eloquentiam patroni ejus Q. Hortensii nocere, praesertim cum ipse antequam verbum accusatoris audisset, causam dicere cogeretur. Sub finem iudices orat, ut P. Quinctii multis injuriis jactatam aequitatem in iudicio consistere paterentur. Deinde his verbis transit ad narrationem: „Id quo facilius facere possitis, dabo operam, ut a principio res quemadmodum gesta et contracta sit cognoscatis.

Orationis pro Sex. Roscio Amerino prooemium ex quibus locis ductum sit difficile est dicere. Nam orditur C. a sua persona, cum exponit quibus de causis patronus causae extiterit; deinde dicit qualis sit res qua ceteri Roscium defendere prohibeantur; tum iudices orat, ut adversariorum cupiditati resistent. Itaque ex pluribus locis argumentum sumtum est. Transitio: „Atque ut facilius intelligere possitis, iudices, ea quae facta sunt, indigniora esse quam haec sunt quae dicimus, ab initio res quemadmodum gesta sit vobis exponemus, quo facilius et hujus hominis innocentissimi miseras et illorum audaciam cognoscere possitis et reipublicae calamitatem.“

Orationis pro Q. Roscio comoedo principium deest.

Prooemio orationis Tullianae res materiam praebuit, ut apparet etiam ex verbis quibus ad narrationem transitur: „Quoniam quod iudicium et quo consilio constitutum sit, cognostis, nunc rem ipsam, ut gesta sit, dum breviter vobis demonstro, attendite.“ C. enim quod adversarius factam caedem non infitiaretur, rationem defensionis sibi mutandam dicit; se contra existimationem adversarii nonnihil dicturum; denique hoc solum recipere iudicandum esse quantae pecuniae damnum datum sit M. Tullio ex lege Aquilia, ex qua M. Lucullus illam latebram „damnum injuria“ sustulerit.

Venio nunc ad orationes Verrinas. In divinatione quid secutus sit ipse dicit § 10: „Nunc quoniam quibus rebus adductus ad causam accesserim demonstravi etc.“ Quam quaestionem exordio insertam non fuit cur Halmius extra causam esse et in disceptatione de verissimo accusatore etiam omitti potuisse scriberet, nam exordia extra causam esse solent. Ac Quintilianus IV. 1, 49, de hoc exordio dicit: „non inutilis etiam est ratio occupandi quae videntur obstare, ut C. dicit „scire se mirari quosdam quod is, qui per tot annos defenderit multos, laeserit neminem, ad accusandum Verrem descenderit“: deinde ostendit, hanc ipsam esse sociorum defensionem, quod schema *πρόληψις* dicitur. Id cum sit utile aliquando, nunc

<sup>4)</sup> Quod C. ad Att. XVI. 6, 4, scribit, habere se volumen prooemiorum, ex quo eligere soleat, cum ali- quod *σύγγραμμα* instituerit, id non ad orationes est referendum.

a declamatoribus quibusdam paene semper assumitur, qui fas non putant nisi a contrario incipere.“ Prooemium actionis primae ducitur, ut Quintilianus dicit „ab opinione“<sup>5)</sup> quae percrebuit pecuniosum hominem neminem posse damnari perniciose reipublicae et periculosa iudiciis, quos C. hortatur, ut contempta Verris pecunia, in qua is omnem orationem salutis constituerit, iudicia senatoria infamia liberent. Nam „metus etiam nonnunquam est — — adhibendus, ut C. in Verrem facit. Sed adhibendi modus alter ille frequens et favorabilis, — ne iudicia transferantur, alter autem asper et rarus, quo minatur corruptis accusationem“ Quintil. IV. 1, 21. Actionis secundae varia est ratio; nam tribus tantum orationibus sunt proemia, duabus desunt. Atquae in primae orationis exordio primum ad iudicariam controversiam de transferendis ad equites iudiciis percommode accidisse dicit, quod Verres se ad damnationem offerat (fingit enim eum ad iudicium adesse), deinde Verris scelera enumerat, quibus si a iudicibus absolvatur, fieri non possit quin a populo condemnetur, tum suam in inquirendo industriam describit, denique se oratione perpetua usurum promittit, quamquam sic a se omnia priore oratione sint acta, ut nemo perpetuam accusationem requireret. Postremo quod praetermisso primo vitae actu quid Verres in quaestura et legatione Asiatica et praetura urbana et praetura Siciliensi egerit sit expositurus, totam accusationem in quatuor partes distribuit. Quarum quoniam tres partes primo libro absolvit, transiturus ad causam Siciliensem, in secundo libro orditur ex illius provinciae dignitate, quae a Verre ita vexata sit, ut experiatur eequid querimoniae suae apud Romanos valeant. Earum causam ita se suscepisse, ut de Verris praetura non recuset, quin si Verres cuiquam ulla in re unquam temperaverit, iudices quoque ei temperent. Tum quemadmodum Verres in Sicilia se gesserit, ita narrare incipit: „Qui simulatque ei sorte provincia Sicilia obvenit etc.“ Libri tertii exordium sumit C. ex sua accusantis persona, qui, cum omnes ab iis se abstinere debeant maxime vitiis, in quibus alterum reprehenderint, ipse in Verre sibi eam legem statuat, ut ei factis dictisque omnibus sit dissimillimus. Inimicum autem se Verri esse primum propter studiorum et voluntatis dissimilitudinem, deinde etiam propterea quod ad nobilium hominum amicitiam faciliorem aditum habeat Verris nequitia quam hominum novorum virtus. Transiturus ad narrationem rogat iudices, ut in frumentaria, quam tractare instituit, causa cognoscenda, quae magnitudine injuriae fere criminibus ceteris antecellat, jucunditatis in agendo minus habeat, sint attentissimi. Postremo causam tripartito dividit. Libros quartum et quintum, ut supra dixi, carere prooemio inde apparet, quod quartus incipit ab usitato illo: „Venio nunc“, quo ad novam partem orationis transiri solet, quintus autem tectiorem quandam habet transitionem, qua primum quid jam demonstratum sit ostenditur (Nemini video dubium esse, iudices), tum novum crimen profertur (Sed quaedam mihi magnifica — ejus defensio ostenditur etc.)

Prooemium orationis pro M. Fontejo cum magna orationis parte amissum est, sed fortasse ex verbis, quae VII. 17, (III. 7) extant, conjici potest, Ciceronem initio contra accusatorem hoc attulisse: aliud per hoc iudicium nihil agi nisi ut M. Fontejo oppresso testimoniis eorum, quibus multa reipublicae causa invitissimis imperata sint, ceteri posthac ad imperandum sint segniore.

<sup>5)</sup> ad causam extra pertinent tempus, unde principium pro Caelio, locus, unde pro Dejotaro, habitus, unde pro Milone, opinio, unde in Verrem etc. IV. 1, 31.

Orationis pro A. Caecina exordium cum his praeceptis, quae C. (Inv. I. §. 21) tradidit, Jordan in prolegg. p. 71 hunc fere in modum comparavit: „genus causae anceps est, in quo judicatio dubia est“ (§. 4, 6, 9) „Anceps genus causae, si dubiam judicationem habebit, ab ipsa judicatione exordium est.“ (§. 1, 4.) „Benevolentia comparatur: ab nostra causa, si de nostris — officiis sine arrogantia dicemus“ (§. 5), — „si quae incommoda acciderint, aut quae instent difficultates, proferemus“ (§. 6—9). — „Ab adversariorum autem, si eos in odium — adducemus“ (§. 1, 2, 4). — „Ab auditorum persona benevolentia captabitur, — si de his — quanto eorum iudicii et auctoritatis expectatio sit, ostendetur (§. 5, extr.); ab ipsis rebus, si nostram causam laudando extollemus (§. 1, 3), adversariorum causam per contemptionem deprimemus“ (§. 1—5). „Attentos autem faciemus, si demonstrabimus ea quae dicturi sumus aut ad omnes aut ad eos qui audient aut ad summam rempublicam pertinere (§. 5, 9); dociles auditores faciemus, si aperte et breviter summam causae exponemus, hoc est, in quo consistat controversia“ (§. 4, 9).

Oratio de Imp. Cn. Pomp. est ex genere deliberativo, de quo praecepta sunt in partt. or. 24, 83 — 27, 97. Atque principia quidem C. in sententiis dicendis (i. e. in genere deliberativo) brevia esse vult. Non enim supplex ut ad iudicem venit orator, sed hortator atque auctor. Quare proponere qua mente dicat, quid velit, quibus de rebus dicturus sit debet hortarique ad se breviter dicentem audiendum.“ Ea praecepta C. ita secutus est, ut omnem auctoritatem (praetoriam) suam et dicendi facultatem ad populi utilitatem collaturum se promittat; sibi dicendum esse de Cn. Pompei virtute; itaque non tam copiam sibi quam modum in dicendo quaerendum.

Pro Cluentio dicturus C. „partitione utitur“ (ut Quintil. IV. 1, 69, dicit). Nam cum accusatoris orationem in duas divisam esse partes animadverterit, eandem distributionem criminum in defensione se servaturum dicit. Itaque ut docilem faciat iudicem, „aperte et breviter summam causae exponit, hoc est, in quo consistat controversia.“ (de invent. I. 16, 23.) Ejus rei autem Quintilianus (IV, 1, 35), hujus ipsius orationis prooemium ut optimum apud oratores exemplum summe laudans, eum esse modum vult, ut propositioni similior sit quam expositioni, nec quomodo quidque sit actum, sed de quibus dicturus sit orator ostendat; id tamen totum respondententi facilius esse quam proponenti, quia hic admonendus iudex, illic docendus sit.“ Sed magis iudicem fidem implorat C. ad alteram partem causae, inveteratam iudicii corrupti invidiam exstinguendam „Quamobrem dum multorum annorum accusationi breviter dilucideque respondeo, quaeso ut me, iudices, sicut facere instituistis, benigne attenteque audiatis.“ Etiam transitionem hujus prooemii ad narrationem Quintilianus exempli gratia commemorat: „si vero longior sequetur ac perplexa magis expositio, ad eam ipsam praeparandus iudex erit, ut Cicero saepius, sed et hoc loco fecit: „paulo longius exordium rei demonstrandae repetam, quod, quaeso, iudices, ne moleste patiamini: principiis enim cognitis multo facilius extrema intellegitis.“ (Quint. IV. 1, 79.)

Primae de lege agraria orationis prooemium cum priore orationis parte amissum est; secundae autem admodum est longum; nam cum hanc primam post consulatum initum haberet concionem, more majorum populo agendaerant gratiae. Quare, ut ipse dicit, adhibet certam rationem moderationemque dicendi, ut quid a populo acceperit commemoret, et dicat qua re dignus sit summo honore. Postquam igitur se ita consulem declaratum esse praedicavit, quomodo novus ante se nemo esset factus, consulem se promittit fore popularem,

ejus verbi vim ita interpretatur, ut pacem externam, libertatem propriam nominis Romani, otium domesticum in fidem sui consulatus collata esse dicat, largitionem, judiciorum perturbationes, cetera popularia esse neget. Nec si qui agros populo Romano polliceantur, sed aliud obscure moliantur, aliud specie simulationis ostendent, populares eos existimandos. Quae tum inde a c. V. sequuntur, narrationi, quanquam dicendi genere nonnihil a ceteris narrationum exemplis abhorrent, compares, nam C. priusquam ipsam legis agrariae rationem exponit, narrat quemadmodum et ipse et Rullus ante legis promulgationem se gesserint. Tertiae orationi exordii loco pauca sunt verba, quibus a populo parvam exigui temporis usuram bonae de se opinionis postulat ad falsam criminationem repellendam.

Amplissimum est ad animos reo conciliandos exordium orationis pro C. Rabirio perduellionis reo. Nam cum C. rationem proponit, qua de causa eum defendat, docet et sua consulis et populi iudicaturi interesse senatus auctoritatem sustineri, quam adversarius Rabirii accusatione evertere studeat; studium conservandi hominis commune sibi esse cum populo. Sententias ducit ex quatuor illis locis qui ad motus animorum conficiendos insunt in causa. Quod vero jam in exordio a dis pacem et veniam precatur, id quod alias in perorationibus facere solet, mihi eo pertinere videtur, quod in hac Rabirii causa, „qua jus omne retinendae majestatis contineretur, in omni genere amplificationis exarsit.“ (or. 29, 102.)

Orationes Catilinae quae neque ex genere judiciali et ex tempore habitae sint, ad certam dispositionis normam revocari non possunt; itaque etiam duae priores omnino exordio carent; tertiae et quartae prooemium a Cicerone, cum orationes consulares ederet, adjunctum esse opinor. Atque in tertia primum rempublicam conservatam dicit et quanto in honore ipse ob eam rem esse debeat exponit; tum transit ad eorum quae acta sint narrationem, ut „et quanta et quam manifesta et qua ratione investigata et comprehensa sint scire possint.“ Etiam quartam orationem illo demum tempore cum alio ornatu dicendi instruxisse videtur tum prooemio quo senatores utrum Silani an Caesaris sententiam sequerentur dubitantes hortatur, ne in tanti et tam late disseminati facinoris poena constituenda ipsius periculorum rationem habeant.

Ample atque elate oratio pro Murena incipit a prece, ut Murena, quem ipse comitiis centuriatis consulem renuntiaverit, hoc populi Romani beneficium a se defensum tueatur. Tum „pro se ipso pauca dicit, ut ipsam susceptionem causae ab accusatoribus reprehensam defendat et iudicibus probet.“ Et primum M. Catoni respondet neganti rectum esse et consulem et legis ambitum latorem et severe gesto consulatu causam L. Murenas attingere, deinde Ser. Sulpicio satisfacit conquerenti quod familiaritatis oblitus eum defendat, a quo ipse (Sulpicius) in honoris contentione superatus sit. Itaque est ut hoc exordio reus iudicium fidei commendetur; sententiae autem ita ex accusantium personis ducuntur, ut ii non, id quod alias fit, in invidiam vocari videantur.

Ant. Haacke.